

**Dissertatio inauguralis medica qua casum singularem polypi post febrem epidemiam ex utero egressi physiologice et pathologice consideratum ... / sistit ... C.S. [Praeses: A. Vater].**

### **Contributors**

Schunckius, Casparus.  
Vater, Abraham, 1684-1751.  
Universität Wittenberg.

### **Publication/Creation**

Wittenberg : E.G. Eichsfeld, 1739.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a7xpsmtn>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*lit.*  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS MEDICA  
CASVM SINGVLAREM 879.15  
**POLYPI**  
POST FEBREM EPIDEMIAM  
EX VTERO EGRESSI

PHYSIOLOGICE ET PATHOLOGICE CONSIDERATVM

PRAE<sup>S</sup>IDE

**ABRAHAMO VATERO**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
ANAT. AC BOTAN. PROF. PVBL. ORD. ACAD. IMPERIAL.  
S. R. I. LEOPOLD. CAROL. NAT. CVRIOS. NEC NON SOCC.  
SCIENT. REGG. BRITANN. AC BORVSS. SOCIO

PRAECEPTORE ATQVE PATRONO  
DEVENERANDO

A. R. S. CIO IO CC XXXIX. D. XXIX. MAI<sup>Y</sup>  
GRATIOSISSIMI ORDINIS CONSENSV

PRO LICENTIA

GRADVM ET PRIVILEGIA DOCTORIS  
IN MEDICINA RITE OBTINENDI

SISTIT

ET PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTIT


**CASPARVS SCHVNCKIVS**

FLENSBURGO - CIMBER  
MEDIC. CANDIDAT. ET PRACT.  
H. L. Q. C.

VITEMBERGAE 1709  
TYPIS EPHRAIM GOTTL<sup>O</sup>B EICHSFELDII  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.


# K. u. k. Militär-Ärztliche Bibliothek

Standort	Zimmer	Katalog	Abth.	
	Kasten		Gruppe	
	L. Nr.		Nr.	



DE  
**POLYPO**  
POST FEBREM EPIDEMIAM  
EX VTERO EGRESSO.

---



ccurrunt subinde Medicis, curatio-  
ni aegrotorum intentis, casus dubii,  
ancipites atque periculi pleni, qui  
eorundem, etiam expertissimorum,  
animos suspensos reddere valent,  
quid de iis sentiendum statuendum-  
que, quidque in illis agendum sit.  
Agunt enim morbi, praeprimis interni, altas admo-  
dum radices in visceribus interioribus, absconditis at-

que a sensibus remotis , & clanculum increscunt, tandemque, viribus collectis, inopinato foras prorumpunt. Experiuntur id saepe in se, suo damno, foeminae, quorum utero, ingentium in hoc sexu malorum fonte, praeter prolapsus & molas , varia intus concreta atque generata, per genitalia exeunt, atque dolores acerbissimos, aliaque symptomata grauissima, inducunt. Huiusmodi tumores, e pudendis mulierum produntur, ubi profundius radicantur, & ex loco sublimiori , utero ipso , vel eius orificio interno proveniunt, haud raro cum prolapsu confunduntur. Commone-faciendi igitur sunt Medici iuniores , in consilium vocati , propter imperitiam obstetricum ac quorundam Chirurgorum in rebus Anatomicis, ut circumspecti sint, ne in negotio adeo arduo error committatur. Obtingit mihi ante aliquod tempus casus, ob plurimas circumstantias singulares , commemoratione dignus, quem ideo in praesenti hac dissertatione inaugurali proponere volui. Faxit Deus, ut hic labor cedat in sui honorem & aegrotantium salutem.



## HISTORIA.

**A**nno praegresso MDCCXXXVII. Mense Augusti, aestate ad autumnum vergente, in oppido, trium lapidum intervallo ab urbe nostra remoto, Matrona nobilis sexagenaria incidit in febrem, quae pro more epidemiarum, isto tempore hinc atque inde grassantium, intermittentem tertianam mentita est, at mox continuae indolem monstravit. Primis octo diebus medicamenta a me absente, contra febrem intermittentem, petita sumpsit, sed cum borum usu malum nullatenus cedere viderent, ut potius morbus invalesceret, meum adventum efflagitarunt. Ipse cum aliis negotiis irretitus, invitationi morem gerere nequirem, Generum eo ablegavi, ut consiliis meis adiutus, curam dirigeret. Hic posteaquam aegram vidit, e circumstantiis mox iudicavit, non intermittentem, sed continuam remittentem adesse febrem. Ordinavit propterea medicamenta, eo in casu usualia, praecipitania, diaphoretica atque bezoardica, & quoniam primis diebus venaesectio omissa fuerat, loco eius vesicatorium applicari iussit, imprimis ut virium lapsui consuleret, metumque Apoplexiae arceret. Factum ita est, ut aegra, gravissimis licet symptomatibus confictata, sub finem tertiae septimanae ad se rediret, & in vado esse videretur. Tunc autem subitanea rerum mutatio facta est, calor enim febrilis, fere extinctus, denuo accensus, ad summum repente gradum auctus est, anxietates, sopor atque delirium, cum accendentibus per intervalla, horribus atque succussionibus totius corporis & artuum validissimis, quales in paroxysmis intermittentium usu veniunt, non potuerunt non pavorem incutere omnibus, ob metum gangraenae irruentis. In tanto vitae discrimine, celeri opus fuit auxilio, quapropter Medicus, ut

inflammationi resisteret; auctis dosibus nitri depurati, in aquis destillatis soluti, calorem internum suffocare allaboravit. Optatores cessit, postquam enim aegra, durante nocte, ad duas fere uncias nitri sumpsit, caloris decrementum apparuit, ac illa melius babuit. Sed novam attulit sollicitudinem res inopinata, durante hoc paroxysmo contingens. Insolitum quippe corpus e pudendo illius prodiisse, obseruarunt foeminae, curam ipsius habentes. Omnes adstantes hac re nova perterrefacti, de vita eius desperare coeperunt. Accersuntur obstetrices, advolant foeminae aliae, accedit etiam Chirurgus castrensis, consultatur, quid rei sit, quidque in ancipiti hoc rerum statu sit suscipiendum. Negotium permagnum maximique consilii fuit, nec tamen inter se convenire potuerunt, utrum massa propendens sit uterus prolapsus, an mole, an aliquid monstri, ex utero pronati? utrum corpus ad interiora retrudendum, reponendum, an vero resecandum? Chirurgus omnia irrita futura pronunciavit, ob presentem iam tum gangraenam. Medicus in re tam arduanibil, nisi audita prius mea sententia, decernere voluit, eoque consilio omni festinatione ad me properavit. Fuit autem, Ipso referente, massa ista gracilis atque oblonga, duorum tamen pollicum combinatorum crassitie, trium circiter digitorum transversorum longitudine, coloris obscure rubicundi, farciminis instar sanguine infarcti, e sinu pudoris propendens. Obstetrix etiam, illo iubente, digitis intrusis, & circa molem illam ductis, principium eius, ubi adhaereat, & unde prodeat, explorare tentavit, sed nullibi, utut adactis profundius digitis, quidquam detegere potuit. Ex hac Medici relatione ego iudicavi, nullum adesse prolapsum, utpote qui tam subito aegrae, in lecto constituae, absque ulla vi externa, accidere nequaquam possit, cum illa antebac nil quidquam de illo perceperit, contrarium praeprimis suadente ipsa figura  
buius

buius molis, cum prolapso nullatenus conveniente. Extraktionem tamen, aut extirpationem eius nullo pacto suadere posui, tum propter situm eiusdem profundum, tum ob aetatem aegrae in senium vergentem, statum corporis cachecticum, viresque morbo praecedente fractas, ne sinister eventus operationi factae tribueretur. Quamobrem satius esse dixi, massam illam prolapsam, praemissa fomentatione, in locum pristinum, in quo tamdiu haeserat, reponere, totumque negotium naturae committere, quam, operatione infeliciter succedente, famae iacturam facere. Medicus itaque percepto hoc consilio, ad aegram remeavit, massamque egressam reponi, ac quo minus, uti siebat, denuo excideret, circulum cera obductum immitti curauit, quod etiam optato successit. Convaluit ab hoc morbo aegra, nec quidquam mali exinde secundum est, praeterquam quod diutius, ob neglectum curae decentis, timore abdominis & pedum oedematofo, quo antebac iam laboraverat, afflita fuerit, vivit tamen satis bene ad hunc usque diem, & in publicum prodit.

## THE S. I.

**M**ulta singularia & notatu digna, in casu enarrato occurrere, nemo inficias ibit, qui omnes circumstantias rite & curatius pensitare vult. Attentionem omnino meretur, protrusio illius sarcomatis e muliebribus, eo tempore, quo febris Epidemia superata, aut certe in declinatione fuit, imprimis aegra in lecto constituta, nulloque motu corporis, aut alia quadam causa externa concurrente. Mirandum sane, unde hoc concretum, ex utero proveniens,

Antecedentia in negra.

veniens, in aetate adeo provecta, ortum traxerit. Clarum tamen hoc fiet, si antecedentia ponderemus. Pepererat nostra ante triginta fere annos, a quo tempore coniugium sterile mansit. Post illud tempus laboravit illa fluxu mensium nimio & inordinato, interdum mucoso atque foetido, instar lochiorum, nec non fluore albo. His malis frequenter ista graviter afflita est, atque B. PARENTIS pariter ac meae curae se tradidit, sed penitus liberari non potuit, ut per intervalla levamen senserit. Durarunt quippe symptomata illa ad hanc usque aetatem, ultimumque morbum. Utut igitur de partus, tanto temporis intervallo antegressi, circumstantiis nihil certi constet, facile tamen ex dictis iudicare licet, eundem fontem esse tot malorum perpessorum. Ex dictis enim manifestum est, uterum, sive ob reliquias secundinorum retentas, sive fluxum lochiorum cohibitum, aut saltem insufficientem, tantam impuritatem contraxisse, quod coniugium posthac sterile & frequentes haemorrhagiae confirmant.

## THES. II.

*Rerum  
in utero  
praeter  
naturam  
generata-  
rum va-  
rietas.* **V**terus foemininus uti est primarium sexus sequioris organum, generationis officina, foetusque in eo concepti domicilium, atque locus, in quo idem naturam fovetur, nutritur, crescit & ad maturitatem perducitur: ita ob mōrbos innumeros gravissimosque, eiusdem culpa foeminas misere excruciantes, lerna malorū appellari meretur. Longum nimis foret, ac limites dissertationis excederet, si omnia enarrare vellemus, quae uteri causa sexui huic contingunt mala, ratione

ratione fluxus mensium, salacitatis, sterilitatis, graviditatis, abortus atque partus. Nobis nunc tantum res erit cum rebus, praeter naturam in utero generatis, ex eo interdum exclusis, vel post mortem in illo repertis. Harum miram esse varietatem, nemini potest esse obscurum, qui libros Practicorum & observationum Medicarum Scriptores evolvit. Quotusquisque est rerum Medicarum adeo hospes, ut ignoret, in utero generari, ex eoque prodire molas, diversae formae ac consistentiae, nec non excrescencias varias carneas, sarcomatum, fungorum, aut polyporum nomine venientes. In illo etiam lapides produci posse, monstrat exemplum, quod habetur in *Miscell. curios. Acad. Nat. Curios. Dec. I. A. IV. Obs. LXV.* imo vermes ex ipso excretos fuisse, non tantum minores, ascarides dictos, sed etiam maiores, pollicem longos, imo grandiores, lacertae figuram habentes, ut videre est *loc. cit. Dec. I. A. VIII. IX. & X. it. Dec. II. A. VIII. & IX. nec non Dec. III. A. V. & VI.*

## THES. III.

**M**agnus olim fuit rumor inter Medicos de conce-*Molae i-*  
ptione falsa, qua loco foetus veri & genuini, *magina-*  
aliud animal, aut saltem massa quaedam informis, mo-*riae &*  
la dicta, in utero generatur, & praecedentibus signis *fabulo-*  
ingravidationis, monstruosum quid in lucem editur. *sae.*  
Quae enim partu huiusmodi infelici prodierunt, exhi-  
buerunt varias figuræ non tantum rerum inanima-  
tarum, ut manus complicatae, seu fungi, observan-  
te HILDANO *Cenz. II. obs. LII.* aut cordis, pericar-  
dio inclusi, cum cono & basi, narrante BARTHÖ-

LINO *Cent. III. Hist. I.* aut urticae marinae, annotante LEMNIO *L. I. de occult. natur. mirac.* sed etiam animalium ipsorum, murium atque scarabaeorum cornutorum, ut habet SALMVT<sup>H</sup>. *Cent. I. observ. Medic. LXV.* Imo quaedam ex his vitam habuisse, historiae tradunt, quale exemplum habet IDEM *Cent. III. obs. XCIX.* ubi refert, praecipui cuiusdam civis Servestani uxorem A. 1621. post abortum masculinum, & molam, ovi anserini magnitudine, nonnullu aliam massam carneam excludisse, quae palmam fere longa, vixit, & oris lati figuram habuit, qualis est tinca vel cyprinus piscis, absque tamen cavitate, ac praeterea duo etiam puncta nigra, ocellos referentia, monstrauit, quae in terram prolapsa, non modo palpitaverit, sed etiam se commoverit, & piscis instar convolverit, ad duas tresue horas sese adhuc agitaverit, tandemqne vitam amiserit. Sed horrenda magis est historia, quam IDEM AVCTOR *Cent. I. obs. LXII.* narrat, de muliere, quae loco foetus legitimi quinque mures enixa sit, ex utero mulieris intra manus obstetricis exslientes, in hypocausto hinc inde discurrentes, quorum quatuor ab adstantibus occisi, quintum felis devoravit, quae inde rabida facta in puerperam profiliit, extremum ipsi exitium minitans, donec interimeretur. Eiusmodi farinae sunt, quae de mola volatili, avem quadrupedem referente, narrat BARTHOLINVS *Act. Med. & Philos. Hafniens. Tom. I. obs. XXVI.* cuius skeleton in Museo servavit Rosencrantzius, Praeses Regius Soranus, ibi delineatum. Familiaris haec mola dicitur esse in Belgio, ubi vulgo Suygers, quasi sanguisuga, foetui sugillando infesta, vocatur, & post foetum in partu prodire, atque

que cubiculi angulos peruolitando, mulieres inquietare, ac regressum in uteri latebras moliri, perhibetur, donec occidatur & comburatur, uti pluribus loc. cit. legi potest. Plura de his molis viventibus, ac animalibus vivis ex utero humano prognatis vid *in Miscell. Curios. A. I. & A. II. obs. CLX. in scholiis adiectis.*

## THES. IV.

**N**emo facile hodie reperitur, praeter mulieres credulas & imperitum vulgum, qui talia credit, nec potius fabulis annumeret. Plerasque enim, quae ab Auctoribus citatis narrantur, historias ex aliorum potius relatione, quam propria observatione iidem habent, uti ingenue fatetur MATT. DE GRADIBVS loc. cit. allegatus inquiens: non vidi quidem, sed audivi de animali in matrice generato, quod cum exivit matricem, volavit. Contingit quidem non raro, ut in mulieribus post partum editum, aut abortum passum, quidquam ex secundina in utero retinetur, quod utero annexum, ulterius nutritur, atque eiusdem compressione, figuram monstrofam adipisciatur, ac postea exclusum, mulierculis & aliis superstitionis imponit, ut animal aestimetur. Viventia tamen animalia, praeter vermes, nisi prius irrepserint, ex utero prodire, nemo, nisi simplicissimus, facile induci poterit ad credendum. RVYSCHIVS *in Observ. Anat. Chirurg. obs. LXVIII.* testatur, se una cum Collegio Medico, iussu Magistratus, Amstelodami obstetrices omnes, quarum numerus haud exiguus fuit, examinasse, quid circa molas observaverint, quae vero unanimiter fassae sunt, sese quidem corpuscula carnosa

& dura offendisse, quae e mulierum corpore erant exclusa, ast vero nunquam viventia, sicut nonnulli credidere, vid. etiam KERCKRINGII *Spicil. Anat. obs. XXXVIII. & XCV.* conf. B. PARENT. *dissert. de mola,* item NOSTRA *de mola praegnante.* V-nanimi ergo consensu Medicorum hodiernorum non aliae molae statuuntur, quam quae ex placentis, sive integris abortuum praegressorum, sive particulis placentae maturae a partu in utero relictis, oriuntur. Eamque ob causam B. n. BERGERVS *in Programmate,* occasione Anatomiae publicae A. MDCXCIX. edito, laudat iudicium SENNERTI, illaesa pudicitia tales ex viduis, nullatenus vero ex virginibus prodire posse.

## THES. V.

*Alia con-* **H**as tamen ex placentulis in utero relictis genera-  
*creta ex* **H**tas molas, Pseudomolas vocavit RY SCHI-  
*utero e-* VS *loc. cit. obs. XXXVIII.* quia non sunt vera anima-  
*manan-* lia, qualia veteres ex utero nasci posse crediderunt,  
*tia.* eaque hoc nomine donarunt, sed quoniam compres-  
 sione in utero indurantur, talemque adipiscuntur  
 formam talpae, ranae, aliorumque animalium, ut  
 pro eiusmodi putatitiis molis habeantur. EODEM  
 tamen observante *obs. XXIX.* non solum placentulae,  
 verum etiam sanguis in utero coagulatus, ab uteri  
 compressione, admodum durus, atque in se coactus,  
 molam mentitur, & IPSI ab obstetricibus oblatus  
 est, qualem cruentum coagulatum *fig. 28. 29.* delineauit.  
 Docet propterea ILLE, ad duo respiciendum,  
 ubi talia offeruntur, primo an funiculi umbilicalis ab-  
 rupti

rupti vestigium supersit, secundo an vasis sanguiferis gaudeant eiusmodi massae, sine quibus non possunt vocari placentulae, insuper notando, in placentulis remansis, quantumvis vasa sanguifera adsint, ut plurimum ea sanguine cassa reperiri, ita, ut magis fibras, quam vasa sanguifera referant. Alia continet placentae mutatio in utero, qua vasa eius non obliterantur, & compressione condensatur, sed potius humore limpido extenduntur, & in vesiculas degenerant. Eiusmodi mutationes placentae in hydatides multoties vidit R V Y S C H I V S, uti fatetur *observ.* XXXIII. sed quid rei esset, tamdiu anceps haesit, donec IPSI contigit videre placentam, ex parte sanam, ex parte in hydatides mutatam. Mentionem etiam faciunt Auctores foeminarum ovipararum, atque ovorum, ex utero exclusorum, quae certe nihil aliud fuerunt, quam abortus foetuum primorum mensium, ovo integro adhuc conclusorum, & liquore suo circumfusorum, uti confirmat observatio singularis HARTMANNI in *Epbem. German. Dec. II. A. X.* *obs. CLVII.* Astervatur etiam in Museo Anatomico, quod ex Regia munificentia Academia nostra possidet, ovum in utero foeminae repertum, quod in *Catalogo a me edito* inter Conservata in liquore variorum Auctorum num. 20. commemoratur. Est autem figurae rotundae, exterius coloris flavi, cavitate intus carens, medulla vero spongiosa repletum, quod ego propterea magis ad polyposa concretareferendum esse puto.

## THES. VI.

*Excrescen-* Sed ab istis polyposis concretis ex utero exclusis,  
*tiae aliae* **S**orum antea mentio facta, distinguenda sunt  
*carneae ex corpora*, quae e pudendo prodeunt quidem, sed in-  
*utero emer-* tus aut vaginae, aut orificio uteri, aut ipsi utero co-  
*gentes.*

haerent, adeoque ad excrescentias uterinas potius  
pertinent. Has apte polypos uteri carnosos **R V Y-**  
**S C H I V S** *obs. VI.* appellandas esse censet, ob simi-  
litudinem polypi narium, easque per pedunculum  
utero adhaerentes observavit. Ut enim non plu-  
ribus radicibus aut petiolis ex utero oriuntur, unde  
polypus nomen sortitur, ob substantiam tamen com-  
munem ita vocantur. Nihil tamen obstat, quo mi-  
nus interdum pluribus pedunculis in uteri substan-  
tia radicentur. Alias apto nomine sarcomata ob  
substantiam carnosam, itemque fungi atque excre-  
scentiae fungosae appellari solent, quia fungorum  
more protuberant, atque nutrimento corrupto in-  
crementum suum debent. Huiusmodi excrescen-  
tiis variae corporis partes, nares, lingua, labia, mam-  
mae, vulva, sunt obnoxiae, quae observante **T V L-**  
**P I O** *obs. Med. L. III. Cap. 33.* facile degenerant in fun-  
gos, proximum carcinomatis subiectum. Annota-  
vit etiam **R V Y S C H I V S** *loc. cit. obs. VI.* uti poly-  
pos narium, ita uterinos non omnes eiusdem gene-  
ris esse, modo maligni & cancroosi, modo omnis ma-  
lignantatis expertes, idque exemplo polyporum ute-  
rinorum, ex uteri prolapsi orificio interiori in foemi-  
na pendolorum, qui vehementer doluerunt, cum lar-

ga

ga humoris aquosi & acris ex utero profusione, unde ulcus malignum secutum, mortem acceleravit.

## THES. VII.

Huiuscmodi sarcomata, ex interioribus pudendi Tales propullulantia, quandoque non tantum imperito cum ute-vulgo, sed etiam Medicis atque Chirurgis non satis ri prola-providis, imponere possunt, ut uterus ipsum prola-psu inter-psum esse credant. Interdum enim forma externa dum con-aliquiditer uterus referre possunt, uti figura differ.fundun-tationi nostrae, de Sarcomate e pudendo muliebri resecto, tur.praefixa monstrat. Inde enim tot fabulas apud Au-tores passim occurrentes, de uteri humani extirpa-tione, qua licet facta, foeminas non solum superstites mansisse, sed etiam posthac peperisse, perhibetur, or-tum suum traxisse manifestum est. Plures eius fari-nae historias collectas videre licet in BONET. Se-pulchret. Tom. III. Lib. III. Sect. XXXII. imprimis in Ap-pend. obs. VI. ex quarum plerarumque perlustratione quilibet videbit, relationes istas adeo obscuras esse, ut non constet, quid extirpationibus istis sublatum sit. Commemoratione praeprimis digna sunt duo exempla, ibidem adducta, quae de errore a Medicis & Chirurgis commisso, indubitatum testimonium edunt. In horum altero tumorem, ante & post res-ctionem, uterus esse crediderunt Medici aeque ac Chirurgi, operationi adstantes, imprimis quod uten-teri cornua (ita enim cit. loc. legitur) vasa coeca, cum testiculis in eo observasse se sibi persuaderent, in foe-

foemina tamen, operatione peracta, sanitati restituta, menstrua ex debito fluxerunt, imo graviditatis quedam signa apparuerunt. Alterum vero ibidem alatum exemplum controversiam de uteri extirpatione, an salva vita possibilis, vel non? fere terminare videtur. In hoc enim tumor talis, gangraena corruptus, insignis adfuit, quem Medici & Chirurgi praesentes, uterum ipsum prolapsum esse persuasi fuerunt, ita ut non induci potuerint, ut crederent, uteri hoc minime corpus esse, quo tamen ablato, in foemina brevi post mortua, uteri totum corpus, cum partibus annexis a partibus vicinis separatum, tabulae impositum est, ut omnes errorem cognoscere possent. Ex hoc itaque apparet, quid sentiendum sit de uteri prolapsi exsectione non lethali, quam ZVINGERVS exemplo singulari probare voluit, uti docet observatio, ad Academiam Naturae Curiosorum data, quae habetur in *Act. Physic. Medic. Volum. I. obs. LXXX.*

## THES. VIII.

*Prolapsus uteri verus an detur?*

Ordine nunc ducimur ad quaestionem illam maxime controversam, utrum uterus re ipsa prolapsatur, an vero omnes procidentiae uterinae sint nil aliud, quam prolapsus vaginae inversae, utero in sede sua immobili remanente? *Maxima enim lis est,* inquit GENSELIVS in observatione curiosa de procidentia uteri totali, qaoad fundum, cum febre maligna, quae reperitur in *Act. Erudit. Mens. Maii A. MDCCXVI.* inter doctissimos etiam recentiores Medicos de pro-

procidentia uteri, adeo, ut de nullo foeminarum affectu magis disquisitum sit, quam de hoc: ut taceam ex Graecis Aetium & plures, D. Beckius cum Garnero, Medico Hamburgensi, diu disputavit de prolapsu Matricis & p[re]e indignatione (ut Pechlinus refert) mortuus est. Exempla, praecedente Thesi allata, tumorum aliorum, loco uteri resectorum, atque observationes singulares Auctorum, qui uteri prolapsum impugnarunt, per experientiam atque post mortem institutam sectionem subiectorum, prolapsu laborantium, in quibus uterus in sede naturali inventus fuit, confirmatae, satis quidem edocent, veram uteri ipsius protosin adeo frequentem non esse, ac communiter creditum est, sed quandoque tumores ex interiori vagina emergentes imponere facile posse illis, qui aut rerum Anatomicarum imperiti, aut saltem non satis cauti sunt in iudicando, omnesque circumstantias minus ponderant. Propterea tamen prolapsum uteri fieri posse, aut unquam factum esse cum KERCKRINGIO, MEEKEREN & aliis negare non licebit, nisi iniurii esse velimus in tot Viros fide dignos, omnique exceptione maiores, qui hoc se observasse testantur, itidemque sectione cadaverum confirmant. Instar omnium esse potest RVYSCHIVS, qui in *Obs. Anat. Chirurg. VII.* in foemina, cui Chirurgus ad uterum prolapsum auferendum adeo infelicititer ligaverat, ut ob constrictum simul meatum urianarium suppressio urinae & mors insequeretur,

aperto eius abdomine, in pelvi, qui locus est uteri, nil se vidisse asserit, praeter unum ex ovariis, cum annexa tuba & ligamento lato. Eadem & nobis obtigit ante plures annos felicitas in rei veritatem inquirendi, in sectione foeminae, quae, ob tumorem insignem ovarii dextrae grava sibi visa, ascite mortua erat, in qua uterus itidem non in pelvi, sed a vagina prolapsa, extrorsum tractum invenimus, ulterius progressum, nisi obstitisset tumor ovarii, uti id exposui in *diss. inaug. de Graviditate apparente.*

## THES. IX

*An semper cum vagina prolabatur?* **M**erito tamen quaeritur, an semper & necessario uterus vaginam prolapsam sequatur, & ad exteriora procedat. Difficillimum sane est, sibi concipere, qui fieri possit, ut vagina, vix sex vel septem digitos transversos longa, in prolapsu duplicata existens, eousque extendi queat, ut spithame longitudine, & ultra, e sinu pudoris promineat, quin simul uterus, eidem orificio suo interno firmiter connatum, valida tractione secum rapiat. Hoc tamen re ipsa fieri, demonstrat illustre exemplum ex communicatione **WIDMANNI** in *Ephem. Acad. Nat. Curios. Cent. VII. & VIII. obs. XC VIII.* consignatum, quo docetur, in foemina, gravi & molesto prolapsu per plures annos laborante, mortua, aperto cadavere, uterus in situ naturali cum omnibus suis connexis, ovariis atque tubis, repertum esse, quem laudatus Medicus,

dicus, una cum cohaerente tumore externo extraetum, conservavit, ac in figura adiecta delineari curavit. Notandum tamen, prolapsum talem vaginae uterinae, fieri potissimum quoad tunicam eius internam, admodum rugosam, quae affluxu humorum relaxata, eousque elongari potest. Idque penitus confirmat, & extra omnem dubitationis aleam ponit, prolapsus intestini recti, quod aequa duplicatum, duarum spithamarum longitudine in puella excidisse, observavit SALMUTH. *Cent. I. obs. XXX.* & ad ulnae longitudinem a partu, annotavit BONET. *Med. Septentr. P. I. L. III. Sect. XIV. C. IX. in Scholio.* Edocent id etiam intestina, in herniis intra scrotum prolapsa, quae sine insigni mesenterii distensione eo procedere nequeunt.

## THES. X.

**A**nsam hoc nobis praebet, disquirendi, an rebus *An pro-*  
 sic stantibus, durante vita, prolapsus uteri verus, *lapsus u-*  
 a procidentia solius vaginae, certe & indubitate co-*teri verus*  
 gnosti possit. Omnes quidem hactenus in ea sunt *a prola-*  
*fentia, illum partim ex forma tumoris globosi aut* *psu solius*  
*ovalis, ob figuram uteri latentis pyriformem, partim* *vaginae*  
*ex orificio uteri interno, subtus in eodem apparente,* *distingui*  
*dignosci debere, At enim vero hiatum talem relinquit* *queat?*  
*etiam vagina, in toto suo ambitu prolapsa, uti omni-*  
*bus ad oculum patebit, quibus figuram WIDMAN-*  
*NI observationi appositam, cum figuris RVYSCHI*

& quorumcunque Auctorum conferre placuerit. Vereor igitur, ne Medicus & Chirurgus expertissimus in eo fallatur, nisi uterus eousque prolabatur, ut orificium, exteriora versus prominens, figuram suam, qua os tincae refert, prodat, aut immissione digiti in hunc sinum, certo distingui queat. Sed illud admodum difficile esse, docet laudati WIDMANNI observatio, quia in illo subiecto, ut verbis eius utar,  
*cervix uteri in statu naturali, iuxta elegan-*  
*tissimam Ruyfchii delineationem, in apicem*  
*quasi vergens, tunica rugosa privata multo e-*  
*rat laxior & magis ampla, ac ordinario mo-*  
*do esse solet, ipsum etiam in illa exsculptum*  
*orificium, quod secundum naturam alias non-*  
*nihil prominens & duriusculum esse solet, at-*  
*que aliquo modo coarctatum, amplitudine va-*  
*ginae non cedebat, quin imo vix amplius di-*  
*stingui potuisset, nisi relicta quaedam levia*  
*saltem vestigia eius regionem indicassent.*  
Huius observationis illum usum esse poste IDEM  
iudicat, ut, si forte prolapsus talis reponi nequeat, &  
ob scirrhosam duritiem, vel gangraenam imminentem  
aut iam praesentem, repositionem nec quidem moli-  
ri liceat, eius extirpacio non reformidetur, sed urgente  
necessitate, praeeunte MEEKEREN, intrepido animo  
perficiatur, utpote quae sola, inter ambigua alias con-  
silia, ad mortem properaturae aegrae, solatum ferre  
possit.

possit. Sed quid si uterus ipse in prolapso tumore lateat, quod tamen per haec tenus adducta vix cognosci potest, hicne salva vita una resecari poterit? Vnicum uteri prolapsi & corrupti, salva vita extirpati, exemplum, ex tot Autorum observationibus, legi, cui quid opponi possit, non video. Hunc casum in SANDE-NII *observatione de Prolapsu uteri inversi ab excrescentia carneo-fungosa, in fundo eius interno, ex potu infusi crepitus lupi enata*, eidemque adiecta Prolusione SLE-V O G T II, dissertationi inaugurali *de foemina gravida lapsu vaginae uteri laborante, praemissa, legere licet, quem etiam in Dissert. mea, de Sarcomate e pudendo muliebri resecto, de hoc argumento agens, adduxi.* HIC testatur, se in massa, a pudendo muliebri resecta, quinque libras pendente, praeter opinionem, ipsissimum non tantum os uteri, cruore viscido obturatum, sed reliquum eius corpus, cum fundo integro, & reliquiis tubarum, quasi in theca coriacea, prope iniectum vinculum abscissa, reconditum offendisse, & facta eius sectione ab orificio ad fundum, cavitatem eius & crassitiem, statui naturali prorsus similem, detexisse. Quis vero de veritate huius relationis, aut dexteritate Viri, in Anatomicis versatissimi, dubitare vellet?

THES. XI.

*Ad quod-nam tu-recensito-ferendus?* Hisce praemissis, revertimur nunc ad casum nostrum, disquirendo, ad quodnam tumorum hucmorum, usque enumeratorum genus, noster supra describaclenus ptus sit referendus? Nobis vel tacentibus, quilibet facile videbit, hic nec uterum ipsum, nec vaginam rum, genitus non longae, farciminis instar protensus fuit, totum etiam sinum pudoris non replevit, ita, ut digiti ad explorandum eius ortum, in vaginam ad os pubis usque intrusi, circa eum duci potuerint, nec orificium suetum in eius extremitate apparuit. Neque etiam quis in eam venire poterit opinionem, molam hic adfuisse, ob partum tanto temporis intervallo praegressum. Ad excrescentias itaque uterinas potius massā ista, ex pudendo elapsa, pertinebit, quae, uti supra vidimus, fungorum, sarcomatum atque polyporum nomine veniunt. Sarcoma tamen propterea vocare nolui, quia hoc nomen magis generale est, & tumores grandiores, eosque magis densos, atque carnosos aut scirrhosos denotat. A fungis quoque differt, quia figura non globosa, tuberum more, sed oblonga atque substantia spongiosa & mollis observata est, fungi etiam, iudice T V L P I O Lib. III. Observ. Cap. XXVIII. proprium carcinomatis subiectum sunt. Polyporum igitur potius appellatione, praeeunte R V Y S C H I O, insigniendam esse hanc molem censui, quia aequa, ac in polypis narium saepe observatur, a longa & frequenti haemorrhagia praecedente, ortum

ortum traxit, cum sinibus vasorum uterinorum, pariter ac isti, connecti videtur, ac consistentiam magis spongiosam, sanguine turgidam, habuit. In polypis quidem, uti supra ex RY SCHIO notavimus, interdum etiam aliquid maligni cancrosi observatum est, sunt tamen, uti IDEM monet, saepissime omnis malignitatis expertes, sicuti & noster nulla malignitatis signa dedit. Facile est, quoque concipere modum generationis polyporum uterinorum, ex gravioribus haemorrhagiis, cum sanguis alias viscidus & glutinosus, ad concretionem pronus, in sinibus uterinis anfractuosis haerens, conquassatione & compressione uteri, in massam talem coeat, atque cohaesione aliarum particularum viscidarum in tantam molem ex crescatur.

## THES. XII.

Sed restat nunc quaestio cardinalis, eaque praeiudi-  
cialis, an rete fecerimus, quod polypum hunc tutius fu-  
reponi curaverimus, an potius tutius fuisset, eundem iisset, poly-  
extractum resecare & extirpare, ob metum corrupti-  
onis internae, a restitutione expectandae. Docet qui-  
dem eventus, nos rete in eo fecisse, quia aegra con-  
valuit, nosque propterea ab omni culpa vindicat &  
im-

immunes reddit. Praeterea multae rationes gravissimae a nostris partibus stant, nosque penitus excusant. Praeter circumstantias in historia allatas, senectutem & constitutionem cachecticam aegrae, lapsumque virium, ipse ortus e loco sublimi, polypi resectionem dissuasit. Extractionem quidem excrescentiarum istarum ope forcipis, & resectionem suadet DIONIS, monet tamen CLARISS. HEISTERVS Chirurg. Cap. CXXXVI. caute hic procedendum esse, ne periculum inde nascatur. Connexio etiam polyporum cum sinibus uterinis, atque color in nostro, sanguine turgido, rubicundus confirmat, eius resectione haemorrhagiam periculofam metuendam fuisse. Et quamvis haec, ligatura praemissa, praecaveri potuisset, idem tamen periculum propter metum inflammationis mansisset, quia massa ob situm profundum raditus tolli nequivit.

